

CICERO ATTICO SAL.

IX. SANE velim scire num¹ censum impediunt Tribuni diebus vitandis, (est enim hic rumor) totaque de Censura quid agant, quid cogitent. Nos hic cum Pompejo fuimus. Multa mecum de republica, sane sibi displicens, ut loquebatur: (² sic est enim in hoc homine dicendum) Syriam spernens, Hispaniam iactans: hic quoque, ut loquebatur; & opinor, utqueque de hoc cum dicemus, sit hoc ³ quasi *ἡ πῶς φωνή*: tibi etiam gratias agebat, quod signa ⁴ componenda suscepisses: in nos vero suavissime hercule effusus. Venit etiam ad me in Cumanum ⁵ a se. ⁶ Nihil minus velle mihi visus est, quam Messallam Consulatum petere: de quo ipso si quid scis, velim scire. Quod ⁷ Lucejo scribis te nostram gloriam commendaturum, & ⁸ adificium nostrum quod crebro invisis, gratum. Quintus frater ad me scripsit, se, quoniam Ciceronem suavissimum secum ⁹ haberet, ad te Nonis Maji venturum. Ego me de Cumano movi ante diem v Kal. Maji: eo die Neapoli apud ¹⁰ Lætum, ante diem iv Kal. Maji, iens in Pompejanum, bene mane hæc scripsi.

¹ Censum] Est census Censorum opus, hoc in loco, *Vitari* autem dicuntur dies, cum vitiosi sunt aliqua religionis obnuntiatione. Junius.

² Sic enim] Solet enim aliud sentire, aliud loqui. Ep. i. lib. VIII. Fam. Hinc ep. 14. h. l. Dixit, sed utrum fronte, an mente, dubitatur. Corradus.

³ Quasi] Ut Phocylides poeta suis præceptis præponere solitus est illum dimidia- tum vericulum; *ἢ πῶς φωνή*: Et hoc Phocylides sic nos, cum Pompeji sermones referemus, semper addemus, *Ut loquebatur*: quoniam ille aliud in lingua promptum, aliud in pectore clausum habebat. Popsma.

⁴ Componenda] In theatro Pompeji. De quo Plur. Plinius &c. *Manutius*.

⁵ A se] A villa sua; sicuti, *Ad me*, valet, ad villam meam. Nec est, cur hoc lo-

quendi genere quisquam offendatur. Sic ille, quem hic noster tanti fecit, Terentius in *Heavton*. *Hinc a me quisnam egreditur?* & alibi cum ipse, tum, optimis Latinitatis auctor, Plautus. *Idem*.

⁶ Nihil minus velle] Quia favebat Emilio Scauro. Videbat autem duos patricios simul esse consules non posse: vatabat enim antiqua lex. Ideo timebat, ne, dejecto Scauro, Messalla crearetur. Quod evenit. *Idem*.

⁷ Lucejo] Vide ep. 6. hujus libri.

⁸ Adificium] Domum quæ ædificatur. De qua lib. III. ad Q. Fr. *Manutius*.

⁹ Haberet] Mallet: secum habere: ut ea causa iret ad Atticum Q. frater. *Idem*.

¹⁰ Lætum] Placeret, Petum; ut sit Pappus Petus, de quo Fam. IX. *Idem*.

C I.

CICERO ATTICO SAL.

X. PUTEOLIS magnus est rumor Ptolemæum¹ esse in regno. Si quid habes certius, velim scire. Ego hic passor bibliotheca² Fausti. Fortasse tu putabas, his rebus Puteolanis & Lucrinensibus. Ne ista quidem desunt. Sed me hercule³ a cæteris oblectationibus desolor, & voluptatibus, propter Rempublicam; sic literis sustentor & recreor; maloque in illa tua fedecula, quam habes⁴ sub imagine Aristotelis, sedere, quam in istorum sella curuli; tecumque apud te ambulare, quam cum eo, quocum video esse⁵ ambulandum. Sed de illa ambulatione fors viderit, aut si quis est qui curet deus. Nostram⁶ ambulationem, & Laconicum, eaque quæ⁷ Cyrea sint, velim, quod poteris, invisas; & urgeas Philotimum ut properet; ⁸ ut possim tibi aliquid in eo genere respondere. Pompejus in Cumanum ⁹ Parilibus venit: misit ad me statim qui salutem nuntiaret. Ad eum postridie mane vadebam, cum hæc scripsi.

¹ Essi in regno] Restitutum a Gabinio, Syria præconfuli. Nota historia ex Dione, Cæsare, aliis. *Manutius*.

² Fausti] Hic est L. Cornelius Sylla Faustus, Syllæ Dictatoris filius, Pompeji gener, quem magnam & exquisitam bibliothecam habuisse licet suspicari ex eo, quod Sylla pater devoti Athenis inde aliquot librorum millia abstulerit, ut tradit Plutarchus in *vita Popma*.

³ Hic rebus] Piscibus & ostris, quibus vivas Puteolanis & lacus Lucrinus abundabant. *Idem*. Placet ut legatur *ostris*, pro *his rebus*. Urfinus.

⁴ A cæteris] Videtur ut suo loco excidisse. Forte Cicero sic scripsit: *Sed me hercule ut a cæteris . . . sic literis* &c. *Grev.*

⁵ Ut possim] Ut ego quoque habeam, ubi te possim accipere, acceptus a te toties: quod nunc, nondum ædificata domo, non possum. *Manutius*.

⁶ Parilibus] IX. Kal. Maji. *Idem*.

⁷ Sub imagine Aristotelis] In tua bibliotheca. *Manutius*.

⁸ Ambulandum] Mihi ut legato. Ep. i. & 2. h. l. Nisi velit significare, quod de- vorandum esse dixerat, ep. 5. h. l. *Corr.*

⁹ Ambulationem, & Laconicum] In ipsius domo. De Laconico, vide Vitruvium lib. X. cap. 9, 10. *Manutius*.

¹⁰ Cyrea sint] A Cyro architecho facta sint. Ep. 3. lib. II. Al. *cyrea sunt*, idque fortasse rectius, ut balnearia significet. Ep. i. lib. III. ad Q. fr. *Corradus*.

¹¹ Ut possim] Ut ego quoque habeam, ubi te possim accipere, acceptus a te toties: quod nunc, nondum ædificata domo, non possum. *Manutius*.

¹² Parilibus] IX. Kal. Maji. *Idem*.

CICERO ATTICO SAL.

XI. DELECTARUNT me epistolæ tuæ, quas accepi uno tempore duas ante diem xi Kal. Perge reliqua.

qua. Gestio scire ista omnia. ¹ Etiam illud cuiusmodi sit, velim perspicias: potes a ² Demetrio: dixit Pompejus, Crassum a se in Albano expectari a. d. iv Kalendas: is cum venisset, Romam esse statim venturos, ut rationes cum Publicanis putarent. Quasivi, ³ gladiatoribusne? respondit, ante quam inducerentur. Id cuiusmodi sit, aut nunc si scias, aut cum is Romam venerit, ad me mittas velim. Nos hic voramus literas cum homine mirifico (ita mehercule sentio) Dionysio, qui te, omnesque vos salutat. ⁴ Οὐδὲν γλωσσῶρον ἢ ἀδύρ' εἰδέναι. Quare ut homini curioso ita percribe ad me, quid primus dies, quid secundus, quid ⁵ Censores, quid ⁶ Appius, quid illa populi ⁷ Apuleja. Denique etiam quid a te fiat, ad me velim scribas. Non enim (ut vere loquamur) tam rebus novis, quam tuis literis delector. Ego mecum præter Dionysium duxi neminem: nec metuo tamen ne mihi sermo desit ⁸ abs te. Opere delector. Tu Luccejo ⁹ nostrum librum dabis. ¹⁰ Demetrii Magnetis tibi ¹¹ mitto; statim ¹² ut sit, qui a te mihi epistolam referat.

¹ Etiam illud] Hoc quod sum dicturus, quodque mihi Pompejus affirmavit, de rationibus cum publicanis putandis. Id ipsum repetit, post hanc narrationem; his verbis, *Id cuiusmodi sit, aut nunc si scias*, &c. *Μαλίσσινα*.

² Demetrio] Pompeji liberto. Plin. lib. XXXI, cap. 18. Plutarch. in Pomp. & Dion. lib. XXXIX. *Corradus*.

³ Gladiatoribusne] Putarent vellent rationes, quibus diebus gladiatores pugnarent? Ante, Pompejus respondit. *Manutius*.

⁴ Οὐδὲν] *Nihil dulcius, quam omnia nosse*. Desit fortasse verbum *ἔστι*.

⁵ Censores] Num civitatem censeant, an id deserperet. Ep. 17. *Manutius*.

⁶ Appius] Quia videbat eum hoc anno consulatum petiturum. Anno enim proximo consulatum gessit. *Idem*.

⁷ Apuleja] Appii frater P. Clodius, qui

populum in tribunatu non secus, atque Apulejus Saturninus, concitat. *Apulejum* autem appellat per contemptum quasi effeminatum, & mollem. *Idem*.

⁸ Abs te. Opere] Aliter & legunt, & interpretantur: sed germanas, opinor, & geras afferunt. Hic tamen aberrasse librarum scriptorem facile crediderim. *Olivetius*.

⁹ Nostrum librum] Commentarium eorum rerum, quas in consulatu gessimus, ut habeat, unde sumat ad historiam conficiendam. Ep. 12. lib. V. *Fam. Manutius*.

¹⁰ Demetrii Magnetis] Epist. 11. & 16. lib. VIII. *Corradus*.

¹¹ Mitto] Librum *περὶ Μαντινῶν* ab eodem Demetrio Magnetæ ad te missum. *Idem*.

¹² Ut sit] Ille, qui Magnetis librum attulerit. *Idem*.

CICERO ATTICO SAL.

XII. EGNATIUS Romæ est. Sed ego cum eo de re Hælimeti vehementer Antii egi; graviter se acturum cum ¹ Aquilio confirmavit. Videbis ergo hominem, si volles. Macroni vix videor ² præsto esse. Idibus enim auctionem Larini video, & ³ biduum præterea. Id tu, quoniam Macronem tanti facis, ignoscas mi velim. Sed, si me diligis, postredie Kal. cæna apud me cum Pilia. Prorsus id facies. Kalend. cogito in hortis Crassipedis, quasi in diversorio, cenare. ⁴ Facio fraudem senatus-consulto. Inde domum cenatus, ut sim mane præsto Miloni. Ibi te igitur videbo, & ⁵ promonebo. Domus te nostra tota salutat.

¹ Aquilio] Jurisconsulto: ut sit C. Aquilius Gallus, qui Ciceronis collega fuerat in prætura: ut in oratione pro Cluentio, & Offic. lib. II. *Manutius*.

² Præsto esse] Macronis causam non videor posse defendere, cum auctioni constituerim interesse. Forte autem vel emere quippiam Cicero volebat in auctione: vel ad eum honorum pars, quæ vendebatur, ex hereditate pertinebat. *Idem*.

³ Biduum præterea] Subintelligit, Larini mihi commorandum est, aut aliquid aliud tale. *Lambinus*. *Biduum*: quod auctioni huic, præter Idus, dabitur. *Monn.*

⁴ Facio fraudem senatus-consulto] Cum senatus vocabatur, senatores, qui erant in ur-

be, adesse iubebantur in senatu, qui non erant, iuberi non poterant. Cicero autem, ne citari posset, urbem non est ingressus Kalendis, quo die senatus habebatur, sed in hortis suburbanis consistere, & cenare voluit. Fraude igitur subterfugit senatus-consultum, quo in senatus-consulto scriptum erat, ut senatores, qui in urbe essent, in senatum vocati venirent, non venientes pignora auferrentur. *Philipp. I. Manutius*.

⁵ Promonebo] *Est*, præmonebo; ut prodicere diem, prædicere, apud Varonem de Lingua Latina. *Bosius*. *Id est*, porro monebo, ut eo die cenes apud me cum Pilia: quod ante dixerat. *Junius*.

CICERO ATTICO SAL.

XIII. NOS in Tusculanum venisse ante diem xvii Kal. Decembris video te scire. Ibi Dionysius nobis præsto fuit. Romæ ante diem xiiii Kalend. volumus esse: quid dico, volumus? immo vero cogimur. ¹ Milonis nuptiæ; comitiorum non nulla opinio est. ² Ego, ut sit rata, absumi-

¹ Milonis nuptiæ] Duxit uxorem Faustam, Syllæ dictatoris filiam. *Manutius*.

² Ego ut sit rata] Quamvis, inquit, rata sit opinio illa comitiorum, ita ut ea cer-

to habeantur, tamen non moleste sero me absumi ab iis altercationibus, &c. *Hæ vero* fuerant, ut suspicor, de habenda aut non habenda quorundam ratione. *Bosius*.

se me in altercationibus, quas in Senatu factas audio, fero non moleste. Nam aut defendissem, quod non placeret; aut desuissem, cui non oporteret. Sed mehercule velim res istas, & presentem statum Reipublica, & quo animo Consules ferant hunc ³ *συνδυόν*, rescribas ad me, quantum ⁴ potest. Valde sum ⁵ *ὀξύπεσις*: & si quæris, omnia mihi sunt suspecta. Crassum quidem nostrum minore dignitate ajunt profectum paludatum, quam olim ⁶ æqualem ejus L. Paulum, iterum Consulem. O hominem ⁷ nequam! De ⁸ libris oratoris factum est a me diligenter: diu multumque in manibus fuerunt; describas licet. Illud etiam te rogo, ⁹ *τὴν παρῆσαν κωδίσκον* *τὴν ὁδὸν*: ne istuc hospes veniam.

³ *συνδυόν*] Perturbationem.
⁴ *Ποτὴν*] Bofius edidit, pot' est.
⁵ *ὀξύπεσις*] Famelicus.
⁶ *Æqualem*] Eius filium, qui consul periiit Cannensi proelio; Africanum minoris patrem naturalem. Is in secundo consulata paludatus exiit ad bellum Macedonicum; nec multo post victor, capto etiam rege Perse, triumphavit. *Æqualem* Crassi, vel cum joco nominat, quod uterque iterum consul ad bellum sit profectus; vel serio, quod eadem ætate essent, cum ad bellum exiere. Nam, sexagenarium utrumque fuisse, tum ex Li-

vio, tum ex Plutarcho licet coniecere. *Manutius*.
⁷ *Nequam*] Qui, C. Ateji Capitonis, Tribunus plebis obnuntiationibus, dirisque neglectis, auri Parthici cupiditate præcepit, ante finem consulatus ivit in provinciam. Cicero lib. I. de Divin. Plutarchus, Dio, alii. Ejus tamen abtens dignitatem defendit in senatu. Ep. 8. lib. V. Fam. *Idem*.
⁸ *Libris*] Tribus ad Q. fratrem. *Idem*.
⁹ *τὴν παρῆσαν*] Presentem statum Reipublicæ, subjecta rudi ejus forma.

CICERO ATTICO SAL.

XIV. VESTORIUS noster me per literas fecit certiorum, te Roma a. d. vi. Id. Maj. putare profectum esse tardius quam ¹ dixerat, quod minus valuisses. Si jam melius vales, vehementer gaudeo. Velim domum ad tuos scribas, ut mihi tui libri pateant, non secus ac si ipse adesces, cum cæteri, tum Varronis. Est enim mihi utendum quibusdam rebus ex iis libris ad eos, quos in manibus habeo: quos, ut spero tibi valde probabo. Tu velim, si quid forte novi habes, maxime a Quinto ² fratre, deinde a C. Casare, & si quid forte de comitiis, de Republica (foles enim tu

¹ *Dixerat*] Faernus corrigebat, *dixerat*, pro *dixerat*, & ita videtur legendum. *Ursinus*.
² *Fratre*] Nunc Cæsaris legato, *Corr.*

tu hæc ³ festine odorari) scribas ad me. Si nil habebis, tamen scribas aliquid. Nunquam enim mihi tua epistola aut intempestiva, aut loquax visa est. Maxime autem rogo, rebus tuis, totoque itinere ex sententia confecto, nos quamprimum revisas. Dionysium jube salvere. Cura ut valeas.

³ *Festine odorari*] Videant eruditi, an re-runt, *Festive* legatur: id est, eleganter, & etius quod manuscripti adhuc retinent libri, suavisibus quibusdam blanditiis. *Vitruvius*, & Germani in margine sui codicis adnota-

CICERO ATTICO SAL.

XV. DE Eutyclide gratum, qui veteri pronomine, novo nomine T. erit Cæcilius; ut est ex me & ex te ¹ junctus Dionysius, M. Pomponius. Valde mehercule mihi gratum, si Eutychides tuam erga me benevolentiam cognosceret; & suam illam ² in meo dolore *συμπάθειαν*, neque tum mihi obscuram, neque post ingratam fuisse. Iter Asiaticum tuum puto tibi fuscipiendum fuisse. Nunquam enim tu sine justissima causa tam longe a tuis & hominibus, & rebus carissimis, & suavissimis abesse voluisses. Sed ³ humanitatem tuam, amoremque in tuos reditus celeritas declarabit. Sed vereor, ne lepore te suo detineat diutius ⁴ rhetor Clodius, & homo pereruditus, ut ajunt, & nunc quidem deditus Gracis literis, ⁵ Pituanus. Sed, si vis homo esse, recipe te ad nos ad quod tempus confirmasti. Cum illis tamen, cum salvi venerint, Romæ vivere licebit. Avere te scribis accipere aliquid a me litterarum; dedi, ac multis quidem de rebus ⁶ *ἡμερολογηδόν* perscripta omnia: sed, ut conjicio, quoniam mihi

Tom. VIII. C c non

¹ *De Eutyclide*] Servum Eutyclidem Atticus liberaturus, eum de suo veteri pronomine, novo nomine, quod ipse a Cæcilio avunculo adoptatus acceperat, T. Cæcilius Eutyclidem appellare constituerat. *Manut.*
² *Junctus*] Ita, ut M. Pomponius Dionysius vocetur. *Corradus*.
³ *In meo dolore*] In exilii calamitate. *Manutius*.
⁴ *Humanitate*] Deleo *sed*; quod manifestum ex syllabæ antecedentis repetitione (ut fere fit in mss.) fuit inculcatum: aut ex initio sequentis comprehensionis adscriptum ab oscitante librario, *Juvius*.
⁵ *Rhetor Clodius*] De quo Philipp. II. & Suetonius in libello de claris Rhetor.
⁶ *Pituanus*] Gentile non fuit *Pituanus*, cognomen *Pituanus*. De gente Pinaria dictum est alibi. *Juvius*.
⁷ *ἡμερολογηδόν*] Ut quæque singulis diebus acciderunt.

non videris in Epiro diu fuisse, redditas tibi non arbitror: genus autem mearum, ad te quidem, literarum ejusmodi ferre est, ut non libeat cuiquam dare, nisi de quo exploratum sit tibi eum redditurum. Nunc Romanas res accipe. A. d. III. Non. Quint. ⁸ Sufenas & Cato absoluti: Procius condemnatus. Ex quo intellectum est, ⁹ *τῆς ἀριστοκρατίας* ambitum, comitia, interregnum, majestatem, totam denique Rempublicam flocci non facere. Debemus patrem familias domi suae occidere nolle, ¹⁰ neque tamen id ipsum abunde: nam absolventur xxii, condemnantur xxviii. ¹¹ Publius sane disertus epologo criminas mentes judicum moverat. ¹² Hortalus in ea causa fuit ejusmodi solet. Nos verbum nullum. ¹³ Verita est enim pusilla, quae nunc laborat, ne animum in Publico offenderet. His rebus actis Reatini me ad sua ¹⁴ *τέμνη* duxerunt, ut agerem causam contra Interamnates apud ¹⁵ Consulcm, & decem legatos; quod lacus Velinus, a M. Curio ¹⁶ emissus, interciso monte, in Narem desluit. Ex quo est illa siccata,

⁸ Sufenas] Tribuni plebis biennio ante fuerant Sufenas, Cato, & Procius.

⁹ *τῆς ἀριστοκρατίας*] *Ἐπισημῶν* corruptissimos iudices uno verbo *τῆς ἀριστοκρατίας* vocavit. Nam saepe numero *ἡ τῆς* in compositione vim habet augendi, ut *τῆς ἀριστοκρατίας*, *τῆς ἀριστοκρατίας*, *τῆς ἀριστοκρατίας*.

¹⁰ Neque tamen] Id est, valde refugere. Invenit enim qui huiusmodi caedes ferant; quales fuerunt illi iudices, qui Procium abolverant. *Idem*.

¹¹ Publius] Clodius. *Manutius*.

¹² Hortalus] Q. Hortensius. *Idem*.

¹³ Verita (vulgo veritas) est enim pusilla]

In hoc verborum ambitu suspicor latere mendam. Et forte locus ita corrigendus: *Verita est enim pusilla, quae nunc laborat, ne animum Publici offenderet*. vel, *ne animum Publici offenderetur*. Ut cum Tulliola rogarerit, ne Procium defenderet contra P. Clodii accusationem: verita scilicet, ne Clodius ex facto gravius irretaretur. *Idem*. Placet, dum verum evatur, coniectura Manutii, nisi quod prout legendum; *ne animum in Publico offenderet*. Scilicet agrotans filia, ne agritudo morbum auget, si forte in orando aliquid dicerem in Clodium, quod

rerum potentes agere ferrent, & mihi meisque periculum demum constaret. Ego nolui in reos dicere quia filia mea nunc agrotans verita est, ne memoria Publici, qui focus erat accusationis aliquide in eam disium hoc alieno tempore suum animum laederet, & periret, eique offenderet nocivos dolores. *Grav*.

¹⁴ *Τέμνη*] Loca amena, quae Vopiscus *Caesar Italia* fumen appellabat. *Corr*.

¹⁵ Consulcm] Ap. Claudium Pulchrum. Et de hac Reatina causa Varro libro III. cap. 2. de re rust. & Tacitus in primo Anualium. *Manutius*.

¹⁶ Emissus] An igitur antea non defluerat? Etiam. Sed angusto tantum Velini ore, quod natura fecerat. Consul autem M. C. Dentatus, postquam anno Urbis Romae CCCLXIII, ante natum Christum CCXL, Sabinos devicit, monte interciso latus ipsi lacui aperuit ostium, quo nunc quoque et celsissimis praeruptissimisque castris in subiectum Narem se praecipitat, ubi spumans celumque obnubilans unda cum fole perpetuam reddit iridem. *Cluver. Ital. antiq. II. cap. 8.*

& humida tamen modice ¹⁷ Rosae. ¹⁸ Vixi cum Axio. Quin etiam me ad ¹⁹ Septem aquas duxit. Redii Romam ²⁰ Fontej causa, a. d. vii. Idus Quint. Veni in spectaculum, primum, ²¹ magno & aequabili plausu: (sed hoc ne curaris; ego ineptus, qui scripserim) deinde, Antiphonti operam. Is erat ante ²² manumissus, quam productus. Ne diutius pendeas, palmam tulit. Sed nihil tam pusillum, nihil tam sine voce, ²³ nihil tam... Verum haec tu tecum habeto. In Andromacha tamen major fuit, ²⁴ quam Aftyanax. In ceteris ²⁵ patrem habuit neminem. Quæris nunc de ²⁶ Arbuscula; valde placuit. ²⁷ Ludi magnifici & grati. ²⁸ Venatio in aliud tem-

G c 2 pus

¹⁷ Rosae] Campus Reatini agri. Virgil. VII. *Æn. Rosae rura Velini*.

¹⁸ Vixi cum Axio] Jucundissime fuit: ut infra in epistola nescio qua: *Cum Passa vixi in Pompeiano*. Et villam habuisse Axium in agro Rosiano, testis est Varro lib. III. cap. 2. de re rust. *Manutius*.

¹⁹ Septem aquas] Omnes agri Reatini lacus simul ita dictos existimo. *Holstein*.

²⁰ Fontej] Fontis *Ponsini*, qui tunc volebat triumphum. *Q. Fr. III. a. Corr.*

²¹ Magno, & aequabili plausu] Qui mihi theatrum ingreissent a populo datus est. Et addidit, *Aequabili*, quia, *Magno*, per se non referretur ad laudem. Nam & plausus magnus datur odiosis hominibus, sed inimice aequabilis, sibilis, in omni strepitu permixtus: *magnus*, & *aequabilis* is, qui diliguntur. *Manut.*

²² Manumissus] Deceverat dominus Antiphontis, qui ludos edebat, illum merito vel immerito donasse libertate. Ideo scribit Cicero illum manumissum prius fuisse, quam productum; quod sive vicisset, sive non, certum esset eum manumissum iri. Victoria premium in servis histrionibus erat manumissio. *Bohas*.

²³ Nihil tam... Verum] Sic dedit Gruterus. Et recte quidem Bohus animadvertit, suspensam hanc locutionem ac sententiam apprime his epistolis atque huic loco convenire. Maluit alii: *nihil tam verum*.

Haec tu tecum habeto. Quod sic explicat Corradus: Cum alienam agere personam deberet, *verum*, hoc est, suam agebat ita ut nihil imitaretur. At enim id si voluisset intelligi Cicero, non scripserit *nihil tam verum*; sed, *nihil tam suum*. Deinde in aetore sec-

nico id quod significatur voce haec *verum*, non vituperationem continet, sed laudem maxime propriam. De enim is optimus est poeta, qui *reddere personam sibi convenientia cuique*, & *veras & vitas morumque exemplari vocat ducere*, (quemadmodum docet Horatius, de *Arte Poet.* 316.) sic praecipue Aetoris commendatio est, si ita agat, ut ad verum ac naturam proximè accedat. Ea scilicet maxime probanda imitatio est, quae minime apparet imitatio. Qui a Simeonis Bohi iudicio discedit, Malaspina, Gronovius, alii, videntur mihi scarras magis spectasse, quam actores. Legi potest ea fabella, quae habetur Phaedri V. 5. Aidam hoc quoque, quod Plutarchus narrat. Mima quendam Seja cum Andromacham ageret in Aetynastis morte lugentem, sui ipsius cineres scenicam in urnam coniecit, ut *veris* lacrymis alienum dolorem imitaretur. Volebat illa dici, *Nihil tam verum*. An, cum diceretur, vituperari se exultabat? *Oliverson*.

²⁴ *Quam Aftyanax*] Quam Tragedus, qui hanc personam agebat. *Manutius*.

²⁵ Patrem] Ergo superiores omnes, ut sit jocus ex ambiguo. *Corradus*.

²⁶ Arbuscula] Fuere eodem tempore tres indignes meretricis, eademque mima; Arbuscula, Cytheris, Origo. Servius Ecl. 10. Arbusculam & Horatius nominat Sat. ultima lib. I. *Manutius*.

²⁷ Ludi] Ludos Apollinares intelligit de quibus infra. *Idem*.

²⁸ Venatio] Nimirum amphitheatralis, cum homines cum feris committeretur. Vide Lipsi de Amphitheatro. *Grævius*.

pus dilata. ²⁹ Sequere nunc me in campum. Ardet ambitus: ³⁰ *σημα δὲ τοι ἐπέα*: ³¹ scenus ex triente Idib. Quint. factum erat beffibus. Dices, ³² istuc quidem non moleste fero. ³³ O virum, o civem! Memmium Cæsaris omnes opes confirmant. Cum eo Domitium ³⁴ Consules junxerunt; qua pactione, epistolæ committere non audeo. Pompejus fremit, queritur, Scauro studet: sed utrum fronte, an mente, dubitatur. ³⁵ *Ἐξοχή* in nullo est. Pecunia omnium dignitatem exæquat. Messalla languet; non quo aut animus desit, aut amici: sed coitio Consulium, & Pompejus obsunt. Ea comitia puto fore ut ducantur. Tribunitii candidati jurarunt se arbitrio Eatonis petituros. Apud eum H-S quingena deposuerunt; ut, qui a Catone ³⁶ damnatus esset, id perderet, & competitoribus tribueretur. Hæc ego pridie scribebam, quam comitia fore putabantur. Sed ad te v. Kal. Sext. si facta erunt, & tabellarius non erit profectus, tota comitia perscribam: quæ si, ut putantur, gratuita fuerint: plus unus Cato potuerit, quam omnes quidem iudices. ³⁷ Messius defendebatur a nobis, e legatione ³⁸ revocatus: nam eum Cæsari legarat Appius. ³⁹ Servilius edixit, ut adesset. ⁴⁰ Tribus habet Pomptinam, Velinam, Mæciam. Pugnatur acriter: ⁴¹ agitur tamen satis. Deinde me expedio ⁴² ad Drusum, inde ad Scaurum. Parantur

²⁹ *Sequere nunc me in campum*] Hoc dicitur: Accipe nunc de ratione petitorum. Petebantur enim in campo Martio magistratus. *Manutius*.

³⁰ *σημα δὲ τοι ἐπέα*] Signum vero tibi dico. *V. v. 326.*

³¹ *Scenus ex triente*] Hoc dicit Cicero, scenus fuisse duplicatum, ut cum antea pecunia mutua acciperetur trientibus usuris, hoc est nostro loquendi modo quatuor in centum, nunc propter candidatarum immanem ambitum, multum pecunie mutuum fumentium ad largiendum, non nisi beffibus usuris locari pecuniam, hoc est octo in centum. *Grævius*.

³² *Istuc*] Ego Atticus, qui lucrari aliquid poterō ut heres Cæcilij feneratoris. *Ep. 9. lib. I. & ep. 29. lib. III. Corradus*.

³³ *O virum, o civem*] Ironia. *Manut.*

³⁴ *Consules*] Ap. Pulcher & Domitius

Ahenobarbus, Memmio & Domitio Calvino consulatum pactione polliciti. Pactionem autem quæ fuerit, aperte scribit in extrema epistola hujus libri. *Idem*.

³⁵ *Ἐξοχή*] excellentia.

³⁶ *Damnatus*] Quod ambitiose, & non Catonis arbitrio petisset. *Corradus*.

³⁷ *Messius*] De quo ep. 1. hujus libri.

³⁸ *Revocatus*] A propinquis, ut opinor, aut ab amicis. Nam iudicii causa neminem de legatione in urbem invitum revocari licebat. *Manutius*.

³⁹ *Servilius*] P. Servilius, Isaurici filius, hoc anno prator. *Idem*.

⁴⁰ *Tribus habet*] Tribus hæc Messium videntur absoluturæ. *Idem*.

⁴¹ *Agitur*] Aliquid tamen proficitur; etiam acres habemus adversarios. *Idem*.

⁴² *Ad Drusum*] Ut post Messium deserendam Drusum, 10. *Idem*.

tur orationibus ⁴³ indices gloriosi. Fortasse accedent etiam Consules designati, in quibus si Scaurus non fuerit, in hoc iudicio valde laborabit. Ex Quinti fratris literis suspicor jam eum esse in Britannia. Suspensio animo expecto quid agat. Illud quidem sumus adepti, quod multis & magni indicibus possumus iudicare, nos Cæsari & carissimos & jucundissimos esse. Dionysium velim salvere jubeas, & eum roges & hortere, ut quamprimum veniat, ut possit Ciceronem meum, atque etiam me ipsum, erudire.

⁴³ *Indices gloriosi*] Indices sunt tituli orationibus rationum, ut pro T. Annio Milone, pro M. Marcello. Quia vero clarissimos viros designatur erat, idcirco ait suis orationibus indices gloriosos parari. *Bosius*.

CICERO ATTICO SAL.

XVI. OCCUPATIONUM mearum vel hoc signum erit, quod epistola librarii manu est. De epistolarum frequentia te nihil accuso. Sed pleræque tantummodo mihi nuntiabant ubi esses, quod erant ¹ abs te: vel etiam significabant, recte esse; quo in genere maxime delectantur duæ ferre eodem tempore abs te ² Bruto datæ. Scire enim volebam te commode navigasse. Sed hæc epistolarum frequentia non tam ubertate sua, quam celeritate delectavit. Illa fuit gravis, & plena rerum, quam mihi M. Paccius, hospes tuus, reddidit. Ad eam rescribam igitur, & hoc quidem primum. Paccio re & verbis ostendi, quid tua commendatio ponderis haberet. Itaque in intimis est meis, cum antea notus non fuisset. Nunc pergam ad cætera. Varro, de quo ad me scribis, includetur in aliquem ³ locum, si modo erit locus. Sed nostri genus dialogorum meorum: ut in oratoris, quos tu in cæcum fers, non mentio potuit fieri cujusquam ab iis, qui disputant, nisi ejus, qui illis notus, aut auditus esset. Hanc ergo de republica quam institui disputationem in Africani personam, & Philii, & Lælii, & Manilii contuli. Adjunxi adolefcent-

¹ *Abs te*] Ita sine argumento, atque sententia, ut ex his nihil aliud possem cognoscere, nisi ubi esses. *Malspina*.

² *Bruto*] Mallem, *Buttrato*: ut ep. 16.

³ *Locum*] Scriptorum meorum.

lescentes Q. Tuberonem, P. Rutilium, duos Lælii generos, Scævola, & Fannium. Itaque cogitabam, quoniam in singulis libris utor proœmiis, ut *Ἀποστέλλω* in iis, quos *Ἐπιπέμω* vocat, aliquid efficere, ut non sine causa istum appellarem: id quod intelligo tibi placere. Utinam modo conāta efficere possim. Rem enim, quod te non fugit, magnam complexus sum & gravem, & plurimi otii, quo ego maxime egeo. Quod in iis libris, quos laudas, personam⁵ desideras Scævola, non eam temere dimovi: sed feci idem, quod in *πολιτεία* deus ille noster Plato. Cum in Piræum Socrates venisset ad Cephalum, locupletem & festivum senem; quoad primus ille sermo haberetur, adest in disputando senex: deinde cum ipse quoque commodissime locutus esset, ad rem divinam dicit se velle discedere; neque postea revertitur. Credo Platonem vix putasse satis consonam fore, si hominem id ætatis in tam longo sermone diutius retinisset. Multo ego fatius mihi cavendum putavi in Scævola; qui & ætate, & valetudine erat ea, qua esse meministi; & iis honoribus, ut vix satis decorum videretur, cum plures dies esse in Crassi Tusculano. Et erat primi libri sermo non alienus a Scævola studiis. Reliqui libri *πελολογία* habent, ut scis. Huic jocularorem senem illum, ut noras, interesse sane nolui.⁶ De re filia quod scribis, erit mihi cura. Etenim est Iulenta res, Aureliani, ut scribis,⁷ indicis; & in eo me etiam Tullia mea⁸ venditabo. Vestorio non desum. Gratum enim tibi

4 *Ἐπιπέμω*] *Ἐπιπέμω* λέγει dicebantur ad quos non modo discipuli, sed quilibet e populo admittetur, qui *Ἐπιπέμω* sive extranei dicti sunt: sicut *ἄλλοι* eius discipuli, & familiares; hinc *ἄλλοι* λέγει, quos habebat ad solos suos discipulos, ac familiares. *Salmassius*.

5 *Desideras*] Lib. II. & III. de Orat. Nam in primo loquitur, *Corradus*.

6 *Non vult*] Libris de Republica.

7 *Πελολογία*] Artis rationem, disputationem de præceptis artis.

8 *Joculatorum*] In tradendis artis præceptis non solet esse locus jocis. Ea enim tractatio spinosior est, quam ut sermonis urbanitatem in differendo recipiat. Ideo Cicero ab ea Scævola joculatorum exclusit. *Bo-*

sius. Vulgo *Joculatoria disputationi*. Quod non convenit. Nam *Πελολογία* est disputatio spinosa & morosa, a qua temerèbat Q. Mucium Scævola joculatorum sive festivum senem. *Papma*. Omnino legendum *σοφιστικῆς*. Nam & ars tota puerilis quodammodo est, & Cicero procul dubio respicit tractatum absolutissimum de jocis, qui II. de Oratore continetur. Malissimum querit, quo referatur *ut ut noras*. Respondetur, optime ad senem posse. J. F. Gronovius, Hæc Casaubonus, in eadem sententia est, *Grew*. 9 *De re*] De dote in aliquo fundo, ut puto, collocanda. *Corradus*.

10 *Indicis*] Id est, ut indicat Aurelianus. 11 *Venditabo*] Cum rem tam luculentam emero ipsius causa. *Corradus*.

tibi id esse intelligat: & ut ille intelligat, curo. Sed scis, qui? cum habeat¹² duo faciles, nihil difficilium. Nunc ad ea, qua quæris de¹³ C. Catone. Lege Junia, & Licinia scis absolutum: Fufia ego tibi nuntio absolutum iri; neque patronis suis tam libentibus, quam accusatoribus. Is tamen & mecum, & cum Milone in gratiam rediit. Drusus reus est factus a¹⁴ Lucretio, iudicibus rejiciendis a. d. v. Non. Quint. De¹⁵ Proclilio rumores non boni: sed¹⁶ judicia nostri. ¹⁷ Hirrus cum Domitio in gratia est. Senatus-consultum, quod hic Consules de provinciis fecerunt, *Quicumque posthac*,¹⁸ non mihi* ut qui jam intelligebamus¹⁹ enuntiationem illam Memmii valde Casari displicere. Messalla noster, & ejus Domitius competitor²⁰ liberalis in populo valde fuit. Nihil gratius. Certi erant Consules. Ac Senatus decrevit, ut²¹ tacitum iudicium ante comitia fieret. Ab iis²² consiliis, quæ erant²³ omnibus sortita in singulos candidatos, magnus timor candidatorum.

12 *Duo faciles*] Alii *Deo faciles*, perpetuum scis, inquit, quis sit iste Vestorius? cum te & me utatur facilissimis, tamen nihil difficilium ipso. *Duo* pro duos antiquè, ut alibi. *Papma*.

13 *C. Catone*] Qui Lentulo & Philippo Coss. Tribunus plebis fuerat. Ep. 2. lib. I. fam. & epist. 3. lib. II. ad Q. fr. *Corrad.*

14 *Lucretio*] Vide ep. 22. lib. VII. *Idem*.

15 *Proclilio*] De quo, epist. superiori.

16 *Judicia nostri*] Quam sint incerta, & quam sordidi iudices. Paulo post. Et sane a Tribunis gratia absolutus postea fuit. Ep. 13. lib. II. ad Q. fr. *Idem*.

17 *Hirrus*] Vide epist. 1. lib. VII. *Idem*.

18 *Non mihi ut qui*] Hæc est vetus scriptura, ex qua fortasse legendum *non mihi ut qui*. Hoc sensu; Senatus-consultum *Quicumque posthac*, quod Consules de provinciis fecerant, non mihi: quia jam intelligebamus enuntiationem Memmii, cum in Senatu recitavit pactionem quam ipse & competitor

Domitius cum Consulibus fecissent, valde Casari displicere, & ob id senatus-consultum non valerunt. *Papma*. Codices *Tornegianus*, & *Crullinus*, *non mihi, ut quod*: *Decuratus, non mihi ut qui*. Mendum ita correximus *non mihi ut qui*. Senus est. senatus-consultum de provinciis Consularibus non est mihi hili, hoc est, id senatus-con-

sultum hili non facio, ut qui jam intellexerim enuntiationem Memmii, cuius causam est illud senatus-consultum, valde Casari displicere: cuius cum valde intersit id senatus-consultum irritum fieri, non dubito quin, quod eo cautum est, ad nihil recesurum sit. Tanta est enim ejus auctoritas, ut id facile imperaturus sit a Senatu. Ex, *mihi*, feci, *mi hili*. Nam sæpenumero in his etiam epistolis, *mi, quod scribitur* scriptum reperis, pro, *mihi*. *Bo-*

filius. *Papma* hic *Grevius* præfert.

19 *Enuntiationem*] Cum C. Memmii pactionem in senatu recitavit, quam ipse, & suus competitor Domitius cum Consulibus fecissent. Vide ep. 18. *Mansuetus*.

20 *Liberalis*] Munere dato. Ep. 17. *Id.*

21 *Tacitum iudicium*] Quod factum non edere. Hoc autem decrevit senatus, ut, qui nullo pudore prohiberentur ab effusio arbitrio, largitionem omitterent; cum intelligerent futurum, ut irrita esset designatio, si damnata tacito iudicio fuissent. Ergo iudicium adhibendum largitionis impeditam quasi frenum quoddam taciti iudicii timore. *Id.*

22 *Consiliis*] Iudicium. *Idem*.

23 *Omnibus*] Jam facta erat in singulos candidatos iudicium sortitio, (nam non eadem erant omnium candidatorum consilia) sed iudicia nondum facta. *Idem*.

torum . Sed quidam iudices , in his ²⁴ Opimius Vegen. Tro. Antius , Tribunus plebis appellarunt , ne injussu populi iudicarent . ²⁵ Res cedit . Comitia dilata ex fenatus-consulto , dum lex de tacito iudicio ferretur . Venit legi dies : ²⁶ Terentius intercessit . Consules , qui illud ²⁷ levi brachio egissent , rem ad Senatum detulerunt . ²⁸ Hic Abdera , non tacente me . Dices , Tamen tu non quiescis ? Ignosce , vix possum . Veruntamen quid tam ridiculum ? Senatus decreverat , ne prius comitia haberentur , quam lex lata esset : si qui intercessisset , res integra referretur . Cœpta ferri leviter . Intercessum non invitis . Res ad Senatum . De ea re ita censuerunt , comitia primo quoque tempore haberi esse e re . Scaurus , qui erat paucis diebus illis absolutus , cum ego partem ejus ornatisime defendissem , obnuntiationibus per Scavolam interpositis , singulis diebus usque ad pridie Kal. Octob. quo ego hæc die scripsi , sublatis , populo tributum domi suæ ²⁹ satisfecerat , sed tamen , etsi uberior liberalitas hujus , gratior esse videbatur eorum , qui ³⁰ occuparant . Cuperem vultum videre tuum , cum hæc legeres . Nam profecto rem non habes nullam , ³¹ hæc negotia multarum nundinarum fore . Sed Senatus hodie

²⁴ Opimius VEJEN. TRO. Antius] Hoc est, Opimius Vegenius, Tymentina Antius. Nomina sunt Tribuum, in quarum prima censetur Opimius, in altera Antius. Sæpe enim Tribubus designari solebant cives Romani. Cælius in epist. ad Cic. Fam. VIII. 8. *Bofius*. Merito probatur eruditi viri commendationem Bofii, sed explicationem non possum probare, cum ex Opimio & Antio duos homines facit. Si duo diversi homines fuissent, secundum Romanam consuetudinem scripsisset Cicero *Opimius Vegen. & Antius Tro.* Nallum dubium Opimium Antium eundem esse hominem, qui duas tribus habuerit; alteram civitate, alteram adoptione. *Græv.*

²⁵ Res cedit] Vid. Man. *Resciit*. Fortasse legendum, *Res ad Senatum*. Urfun. Vel re S. C. D. id est, re fenatus-consulto decreta. *Corr.* Lectionem *res cedit*, potiorum ducit Bofius, & sequitur Mongaltus.

²⁶ Terentius] Tribunus plebis. *Manut.*
²⁷ Levi brachio] Non vehementer: qui

ad populum de tacito iudicio leviter tulissent. *Idem.*

²⁸ Hic Abdera] Hic summa fuit fenatorum stultitia: ut Abderitis viderentur: de quorum sumptu, atque insania multi scriperunt. Ex ipse infra, ep. 7. lib. VII. est, inquit, *Abderitarum*, id est, ratione carens, quasi factum Abderitarum. *Idem.*

²⁹ Satisfecerat] Nummos distribuerat, ut ea liberalitate consul designaretur. *Idem.*

³⁰ Occuparant] Ante dederant: ut Domitius, Messalla competitors. *Idem.*

³¹ Hæc negotia] Ludit in vocabulo nundinarum. His negotiis interventuras multas nundinas, potest intelligi vel dies non comitiales (nam nundinis comitia haberi non poterant) vel multas suffragiorum emptiones. J. F. Gronovius. Alterum hoc fecit Mongaltus noster: & recte quidem: magnas enim Candidatorum res largitiones, Atticus non moleste ferebat, ut modo dictum est pag. 201. *Olivetus.*

die fuerat futurus, id est Kal. Octobribus. Jam enim ³² lucifcit. Ibi loquetur, præter ³³ Antium & ³⁴ Favonium, libere nemo. Nam Cato ægrotat. De me nihil timeris: sed tamen promitto nihil. Quid quæris aliud? judicaria, credo. Drufus, Scaurus ³⁵ non fecisse videntur. Tres candidati fore rei putabantur, Domitius a Memmio, Messalla a Q. Pompejo Rufo, ³⁶ Scaurus a Triario, aut a L. Cæsare. Quid poteris, inquires, pro iis dicere? Ne vivam, si scio. In illis quidem ³⁷ tribus libris, quos tu dilaudas, nihil reperio. Nunc ³⁸ ut opinionem habeas rerum, ferendum est. Quæris ego me ut haberem? constanter & libere. Quid ³⁹ ille, inquires, ut ferebat? humaniter, meæque dignitatis, quoad mihi satisfactum esset, habendam sibi rationem putabat. Quo modo ergo absolutus? omnino ⁴⁰ γοργῆα γυμνῶ. Acculatorum incredibilis

Tom. VIII.

D d

infan-

³² Lucifcit] *Lucifcit* autem per *i*, non *lucifcit*, semper in antiquis libris scriptum observavimus, quod etiam in Terentio illo Politianus adnotat, de quo alibi diximus: nec non omni laudē & honore dignus Petrus Bembo, in suo dialogo de fabulis Terentii, in illo loco: *Lucifcit, hoc jam cur esse Pollitiano adnotat? tam pullam & tam tenuem Æægypti, tam magnus & tam gravis vir non est aspernatus. Victorius.*

³³ Antium] Antium Rektionem virum Prætorium, nam Platarcho autore, Pompejo, & Crasso iterum Coss. prætor fuit. Hunc scribit Macrob. legem sumptuariam tulisse. Val. Max. lib. VI. c. 8. *Corrad.*

³⁴ Favonium] Ep. 1. lib. II. *Idem.*

³⁵ Non fecisse] Reus, a iudicibus absolutus, his verbis innocens pronuntiabatur, *Non videtur fecisse*. Ergo hic Drufum, & Scaurum dicit absolutos. Drufum de prævaricatione, Scaurum de repetundis, Cicero utrumque defendente. *Manut.*

³⁶ Scaurus] Non jam de repetundis, sed de ambitu. Vide Quintil. IV. 1.

³⁷ Tribus libris] Oratoris. *Manutius.*

³⁸ Ut opinionem habeas rerum] Hæc pars tota, usque ad *Sed accipe alia*, ἀποτακτικῶν quoddam mihi videtur esse epistola alterius, aut certe epistola sine capite & calcæ. Quæ me causæ moverint, ut hoc sentirem, dicam haud multo post: certe nomen Gabinii, cujus hic de iudicio tam multa dicuntur, omissi non debuit. Et tamen mecum ipse cogitabam, an emendari sic posset,

Nunc ut Gabinium habeas reum. Illa sententia scilicet: Nunc ut de Gabinio reo certiorum te faciam: ferendum est: siquidem est absolutus. *Malaspina*. Ego paucis mutatis, veram, nisi fallor, lectionem reposui, hoc modo, *nunc ut opinione habeas reum*. Bofius. Hoc totum, ut *opinionem habeas rerum*, quod est in libris vulgaris, depravatum est; imo vero alienum, & suppositum est, legendumque hoc modo: *nunc de Gabinio habe absolutum*. *Verum*. Proclive tamen fuit ex *Gabinio* facere *opinio*: deinde ex *opinio*, *opinionem*, deinde ex *habe absolutum*, *Verum habeas reum*. *Lambinus.*

³⁹ Ille] Quomodo, inquires, ferebat Pompejus me in ea causa libere & constanter adversus Gabinium agere? humaniter, inquam, & placide; quoad mihi satisfactum esset ab ipso Gabinio, qui me, per summam injuriam, dum Consul esset, in exilium egerat. Ita, inquam, favebat Gabinio Pompejus, ut mihi tamen ab eo satisfieri vellet. *Bofius.*

⁴⁰ γοργῆα γυμνῶ] Accusatores Gabinii Cicero vocat γοργῆα γυμνῶ, quod ii nihil præ se ferrent, nisi terrorem quendam inanem; quo genere formidabiles videntur larvæ. Nam γοργῆα sunt προσηγορία καὶ ὑποκρίματα, ut ait Hesychius, sumpta notatione ἀπὸ τῆς Γοργῆς, ἢ γοργῆα ἢ ὄφιοι ἕκαστοι. Adde autem γυμνῶ, quod larvæ illæ nemini notæ non essent, ut quæ nudæ apparent, detracta omni simulatione tanquam veste. *Idem.*

infantia, id est L. Lentuli, L. filii, quem fremunt omnes prævaricatum; deinde Pompeji mira contentio, iudicum sordes. Atamen xxxii condemnarunt, xxxviii. absolverunt. ⁴¹ Iudicia reliqua impendent: nondum est plane expeditus. Dices, Tu ergo hac quo modo fers? Belle me hercule, & in eo me valde amo. Amifimus, mi Pomponi, omnem non modo succum ac sanguinem, sed etiam colorem & speciem pristinam civitatis. Nulla est Respublica, quæ delectet, in qua acquiescam. Id ne igitur, inquires, facile fers? Id ipsum. Recordor enim, quam bella paulisper, nobis gubernantibus, civitas fuerit: quæ mihi gratia relata sit, nullus dolor me angit; unum omnia posse dirumpuntur ii, qui me aliquid posse doluerunt: multa mihi dant solatia: nec tamen ego de meo statu demigro: quæque vita maxime est ad naturam, ad eam me refero, & ad literas, & studia nostra: dicendi laborem delectatione oratoria consolor. Domus me, & rura nostra delectant. Non recordor unde ceciderim, sed unde surrexerim. Fratrem mecum & te si habeo, ⁴² per me ista pedibus trahantur. ⁴³ Vobis ἐμφιλοσοφῆσαι possum. Locus ille animi nostri, ⁴⁴ stomachus ubi habitabat olim, ⁴⁵ concalluit. Privata modo, & domestica nos delectant. Miram securitatem videbis: cuius plurimæ mehercule partes sunt in tuo reditu. Nemo enim in terris est mihi tam consentientibus sensibus. Sed accipe alia. Res ⁴⁶ fluit ad interregnum; & est nonnullus odor Dictaturæ: sermo

⁴¹ *Iudicia reliqua*] Erat enim de maiestate absolutus; sed præterea de ambitu, & de reperundis accusabatur. Vide ad Q. fr. ep. 2. & 3. lib. III. *Manutius*.

⁴² *Per me*] Est hic ἰδιωματι verbi licet, quod nonnunquam tamen adhibetur, ut Accid. (H. 29.) *Per me stertat licet, ait Cæcilius, non modo quiescat.* Malaspina.

⁴³ *Vobis ἐμφιλοσοφῆσαι*] Inter vos philosophari. *Corradus*.

⁴⁴ *Stomachus*] Ubi sedes ira fuit. *Manutius*. ⁴⁵ *Concalluit*] Nonius ita legit, *Concalluit*: pro, callum obdixit: ut iam nulla res me ad iram adducat. Sic in epist. ad Varronem: *Consuetudo callum obdixit stomacho meo.* Idem.

⁴⁶ *Fluit ad interregnum*] Interrex creabatur, cum urbs sine consulibus, & reli-

quis patriciis magistratibus esset, ut is haberet comitia consularia; iisque comitiis consules creati, haberent comitia reliquorum magistratum. Dum autem unus esset patricius magistratus, auspicia ad patres redire non poterant: ita nec creati interrex: quem & a patribus, & auspiciato creati oportebat. Qua de re alias scribit. *Fluor, tenet.* Quia, cum hæc scriberet mense Novembri, nondum habitis consularibus comitiis, quæ nec in expectatione essent, futurum videbatur, ut res usque eo protraheretur, ut, anno confecto, cum nulli consules essent, interrex comitiarum causa crearetur. Quod ita factum est. Nam consules ex interregno creati Domitius, & Messalla, sicuti Appius quoque, & Ahenobarbus, itemque Pompejus, & Craesus. *Idem*.

mo quidem multus; qui etiam Gabinium apud ⁴⁷ timidos iudices adjuvit. Candidati Consulares omnes rei ambitus. Accedit etiam Gabinius: quem P. Sylla, non dubitans ⁴⁸ quin foris esset, postularat, ⁴⁹ contra dicente & nihil obtinente Torquato. Sed omnes absolventur; nec posthac quisquam damnabitur, nisi qui hominem occiderit. ⁵⁰ Hoc tamen agitur severius. Itaque ⁵¹ indicia calent. M. Fulvius Nobilior condemnatus est. Multi alii ⁵² urbani ⁵³ ne respondent quidem. Quid aliud novi? ⁵⁴ & tamen. Absoluto Gabinio stomachantes alii iudices, hora post, Antiochum Gabinium, nescio quem e ⁵⁵ Sopolidis pistoribus, libertum, ac accensum Gabinii, lege Papiæ condemnarunt. Itaque dixit statim reus, vult me iudicatum, ⁵⁶ ἔσ' οἷδ' Ἀπὸς ἄμα Πάπῳ? Pontinius vult a. d. iv

D d 2 Non.

⁴⁷ *Timidos*] Quia a Pompejo, ad quem dictaturam delatum iri putabant, sibi timentes, si ejus amicissimum Gabinium damnassent, absolventur. Ad Q. frat. ep. 7. lib. III. *Idem*.

⁴⁸ *Quin foris esset*] Nam cum ex a. d. xii ad iv Kal. Oct. ad urbem fuisset Gabinus, in eamque nocte ingressus esset: nec nisi decimo die, in Senatum venisset: Syllam fortasse potuit latere: foris illum esse, qui intus esset, credentem. Verum, quid tanti erat ad nominis delationem, ut foris esset? Nihil opinor: sed hisce verbis Cicero consilium Syllæ voluit indicare: qui ut Gabinium a Triumpho cogitatione deduceret, properaverit in iudicium adducere: nesciens, jam tum illum, spem ejus abiecit, atque in urbem ingressum. Atque hæc quidem loci hujus sententia viderur, non sane jacens. In libro tamen Faerni, *Foris esset* scriptum est. Ubi si *Foris* emendetur, ad iudices referri possit, quos timidos idem proxime appellavit. Er, inquit, nonnullus odor Dictaturæ, sermo quidem multus: qui etiam Gabinium apud timidos iudices adjuvit; quos tamen Sylla non dubitans quin foris essent, hominem postularat. Hanc scripturam adiuvant, quæ sequuntur, *Sed omnes absolventur; hoc est, ita timidi sunt, ut non solum Gabinus evasurus sit, sed plane omnes: nisi si quis hominem occiderit.* Item illud, quod est in libro III ad Q. fratrem, extrema prima epistola. *Gabinus a. d. iv. K. Octob. nullus in urbem introiit: et hodie (existi-*

matur autem fuisse III. Kal.) *ovatus hora cum edito C. Albi, de maiestate eum adesse oportere: convocatis suorum et odio universi populi, pene assilatus est.* Sic ibi. Quod ergo notum erat universo populo, Gabinium Romæ atque adeo in urbe esse, id Sylla ignoraverit? *Malaspina*.

⁴⁹ *Contra dicente*] Contenderant Torquatus, & Sylla: ut accusandi munus alteri creperet. Obtinuit Sylla: cum id ante non sperasset. *Manutius*.

⁵⁰ *Hoc tamen*] Tantum de parricidiis accipiunt Corradus & Mongalvus: sed aliter Manutius; nam *varius* de omnibus reis.

⁵¹ *Indicia*] Sic antiqui libri, non, *iudicia*. Quotidie, inquit, nocentes homines iudicio produntur. *Idem*.

⁵² *Urbani*] Homines faciei, qui alios nigro sale delectant. *Grævius*.

⁵³ *Ne respondent quidem*] Hoc est, non se sistant in iudicio, sed in exilium eunt. *Grævius*. Obler. II. 8.

⁵⁴ *Et tamen*] *Leges est tamen.* Muretus. Sed hæc ita sunt supplenda: *Et tamen aliquid est novi.* Et post tamen distinctio locanda. *Grævius*.

⁵⁵ *Sopolidis*] Pistor fuit celeberrimus tempore Ciceronis, cuius meminit Plinius XXXV. 40. *Bohus*.

⁵⁶ *Ὀδ' ε' δὲ*] *Nonne scio te, o Mater, confesse cum Paphia, sive Venere? Videtur hæc verba esse e veteri poeta: sed ex qua, aut quomodo explicanda sint, libenter fateor me ignorare.* Nam doctorum hominum con-

Non. Novemb. triumphare. Huic obviam Cato, & Servilius Prætores aperte, & Q. Mucius Tribunus. Negant enim⁵⁷ latum de imperio: & est latum hercule⁵⁸ infulse. Sed erit cum Pontinio⁵⁹ Appius Consul. Cato tamen affirmat, se vivo illum non⁶⁰ triumphare. Id ego puto, ut multa ejusdem, ad nihil recasurum. Appius⁶¹ sine lege, suo sumptu in Ciliciam cogitat. ⁶² Paccianæ epistolæ respondi: cognosce cætera. Ex fratris literis incredibilia quædam de Cæsaris in me amore cognovi: eaque sunt ipsius Cæsaris uberrimis literis confirmata. Britannici belli exitus expectatur. Constat enim aditus infulæ esse munitis mirificis molibus. Etiam illud jam cognitum est, neque argenti scripulum esse ullum in illa, neque ullam spem prædæ, nisi ex mancipiis: ex quibus nullos puto te literis, aut musicis eruditos expectare. ⁶³ Paulus in medio foro basilicam jam pene texuit iisdem antiquis columnis: illam autem, quam locavit, facit magnificentissimam. Quid quæris? nihil gratius illo monumento, nihil gloriosius. Itaque Cæsaris amici (me dico & Oppium: dirumparis licet) in monumentum illud, quod tu tollere laudibus solebas, ut forum laxaremus, & usque ad trium Libertatis explicaremus, ⁶⁴ contempsum fexcenties H-S. ⁶⁵ Cum privatis non poterat transigi minore

pe-

jecturæ non satisfaciunt, nec melius aliquid ipse reperio. *Ernesti*. Neque habes quo referas hæc verba, *lege Majestatis*. Omnino deesse aliquid videtur.

⁵⁷ *Latum de imperio*] Unius diei, quo ingressus urbem, triumphum duabus erat. Alioqui imperium habere intra urbem licebat nemini. Hujus generis exemplum apud Livium lib. XLV. his verbis: *Tribus his omnibus decretis ab senatu triumphus: mandatumque Q. Cassio prætori, cum tribunis plebis ex auctoritate patrum ageret, rogationem ad plebem ferrent, ut iis, quo die urbem triumphantes invaderentur, imperium esset.* Manutius.

⁵⁸ *Infulse*] Quia legem de imperio Pontinii Serv. Galba prætor clam ante lucem tulerat: quod a Dione traditum est: & agi quidquam cum populo ante horam primam, leges verabant. *Idem*.

⁵⁹ *Appius Consul*] Ejus amicissimus, ut apparet ex ep. 9. lib. III. Fam. *Idem*.

⁶⁰ *Triumphare*] Bessarionis liber, *Triumphaturum*. Utrumque recte. *Idem*.

⁶¹ *Sine lege*] Curiata: qua populus proficiscens in provincias imperium dabat. Ep. 9. lib. I. ad Lentulum, & ep. 2. lib. III. ad Q. fr. *Idem*.

⁶² *Paccianæ epistolæ*] Hic apparet, divulsa esse, & alieno loco agglutinata harum epistolarum membra. Nam Paccianæ epistolæ incipit respondere in epistola proxima superiore, ut, in hac quo modo respondere possit, non videam. *Idem*.

⁶³ *Paulus*] L. Æmilius Paulus, qui duas basilicas, veterem restituit, novam extruxit. *Idem*.

⁶⁴ *Contempsum*] Id est, liberaliter insumptum, & quasi profudius centies steritium in monumenti illius ædificationem. *Bosius*.

⁶⁵ *Cum privatis*] Qui vendebant aream. *Corradus*. Faernus debet non, auctoritatem fecurus veteris libri.

pecunia. Efficiemus rem gloriosissimam. Nam in campo Martio septa Tributis comitiis marmorea sumus & testæ facturi; eaque cingemus excelsa porticu; ut mille passuum conficiatur. Simul adjungetur huic operi villa etiam publica. Dices, quid mihi hoc monumentum proderit? Quid? celabo te res Romanas? Non enim te puto de⁶⁶ lustro, quod jam desperatum est, aut de judiciis, quæ lege⁶⁷ Cossia fiant, querere. Nunc te objurgari patere, si jure. Scribis enim in epistola, quam C. Decimius mihi reddidit Buthroto datam, in Asiam tibi eundum esse te arbitrari. Mihi mehercule nihil videbatur esse in quo tantulum interesset, utrum per procuratores ageres, an per ipsum; ut abis toties, & tam longe abes. Sed hæc mallem integra re tecum egisse. Profecto enim aliquid egissem. Nunc reprimam susceptam objurgationem. Utinam valeat ad celeritatem reditus tui. Ego ad te propterea minus sæpe scribo, quod certum non habeo ubi sis, aut ubi futurus sis. Huic tamen nescio cui, quod videbatur is te visurus esse, putavi dandas esse literas. Tu, quoniam iturum te in Asiam esse putas, ad quæ tempora te expectemus, facias me certiozem velim, & de Eurychide quid egeris.

⁶⁶ *Lustro*] Censores post censum urbem lustrabant: sed censum, lustrumque simul tribuni plebis obnuntiationibus impediabant. Epist. 10. *Manutius*. Sic in marmore Ancyrano Augustus: *Lustrum post annum quadragesimum feci*, cum tamen interea temporis Censores fuerint. *H. Noris*. in *Comment.* ad *Geographia Pisana*.

⁶⁷ *Cossia*] Alti *Platius*, quæ parum convenit, & *Cossia* nulla est: nisi a L. Valerio Cotta, *Cossia* factum sit, ut eadem sit, quæ

Aurelia; quod vix puto. *Malaspina*. Non erat quare *Malaspina* dubitaret, a Cotta post se *Cossiam* dici. Nam eodem modo a Regulo Cottio Alpium pars dicitur *Alpes Cottiane*, & *Cossiana* apud Tacitum Hist. IV. 68. *Ernestus*. Ex literarum charactere, & rei veritate deprehendi legendum *Cossia*, & intelligi legem tabellarum in perduellionis etiam crimine, de qua videndus *Pighius* ad annum Urbis 646. *J. F. Gronovius*.

CICERO ATTICO SAL.

XVII. ○ EXPECTATAS mihi tuas literas! o gratum adventum! o constantiam promissi, & fidem miram! o navigationem amandam! quam mehercule ego valde timebam, recordans superioris tuæ transmissiois¹ *dépèrers*. Sed nisi

¹ *dépèrers*] *Pallus*, involucra. Sensus est, recordans quibus cum impedimentis confi-

latus sis, cum transires mare, in Asiam contendens. *J. F. Gronovius*.

nisi fallor, citius te, quam scribis, videbo. Credo enim te putasse, tuas mulieres in Apulia esse: quod cum secus erit, quid te Apulia moretur: nam vectorio dandi sunt dies, & ille Latinus *ἄρτικτιμὸς* ex intervallo regustandus. Quin tu huc advolas, & invisus illius nostræ Reipublicæ germanæ. Putavi de nummis, ante comitia tributum uno loco divisissimam. Vide absolutum Gabinium: detur esse valiturum. De Messalla quod quæris, quid scribam nescio. Nunquam ego vidi tam pares candidatos. Messalla copias nosti. Scaurum Triarius reum fecit. Si quæris, nulla est magnopere commota *συμπύθησι*: sed tamen habet Ædilitas ejus memoria non ingrata; & est pondus apud rusticos in patris memoria. Reliqui duo plebeji sic exequantur, ut Domitius valeat amicus, adjuvetur tamen non gratissimo munere; Memmius Cæsaris commendetur militibus, Pompeji Gallia nitatur: quibus si non valuerit, putant fore aliquem, qui comitia in adventum Cæsaris derudat, Catone præsertim absoluto. Ab Quinto fratre, & a Cæsare accipi a. d. ix. Kal. Novemb. literas, confecta Britannia, obsidibus acceptis, nulla præda, imperata tamen pecunia, datas a litoribus Britannia proximo a. d.

² *Germanæ. Putavi de*] Etsi nihil immutavi: tamen non dubito, quin ita legendum sit. *Germanæ. Peti vide.* Ut sit sentus. Advola, mi Attice, & invisus similem rempublicam reipublicæ illi nostræ, quam laudare solebam. Dicit enim, *Germanam illius nostræ reipublicæ*, cum ironia, quasi proavis distimilem, & plane mutata. Deinde sequitur: Vide magistratus peti: nummis ante comitia tributum uno loco divisissimam. Quæ verba si quis diligentius expendat, singula emphaticè habere cognoscat. Vide item, inquit, Gabinium absolutum, cum nocentissimus esset. Concedatur etiam, ut auctoritate floreat, & gratia. *Manutius*, qui solus hic Mongault & Grævio probatur. Omnes quidem fatentur locum esse corruptum: sed, cum alii alia verba supponunt, ipsam quoque corruptam sententiam, non interpretantur, *Olivetus*.

³ *Detur esse valiturum*] Absolutus est, inquit Gabinius, homo nocentissimus: detur etiam illud, fore ut in republica floreat: auctoritateque & gloria valeat. Verumtamen

de hoc non valde laboro. *Malspina*.

⁴ *Quod quæris*] Num futurus sit consul. *Corradus*.

⁵ *Reums*] De ambitu. Nam de repetundis jam fuerat absolutus. Ep. 16. & ep. 2. lib. III. ad Q. Fr. *Manutius*.

⁶ *Suorum*] Animi commotio ex commiseratione.

⁷ *Deo plebeji*] Nam Messalla, & Scaurus patricii; plebeji Domitius, & Memmius. Ergo cum Messalla Scaurus, cum Domitio Memmius contendebat. *Manutius*.

⁸ *Militibus*] Quos ad suffragia sæpe venisse legitur. *Corradus*.

⁹ *Pompeji Gallia*] Gallia Transpadana, in qua Pompejus Strabo, pater Magni, colonis jus civitatis & suffragii dederat. *Pompeius*. Mihi scribendum videtur, *Pompeji gratia*. *Muretus*.

¹⁰ *Catone*] Cum Cato, qui tribunus plebis biennio ante comitia in annum sequentem detulerat, sit absolutus. Ad Q. Fr. ep. 5. lib. II. *Manutius*.

a. d. vi. Kalend. Octob. Exercitum Britannia reportabant. Q. Pilius erat jam ad Cæsarem profectus. Tu, si amor in te est nostri, ac tuorum, aut ulla veritas, aut si etiam sapias, ac frui tuis commodis cogitas, adventare & prope adesse jam debes. Non mehercule æquo animo te careo. Te autem quid mirum, qui Dionysium tantopere desiderem? quem quidem abs te, cum dies venerit, & ego, & Cicero meus flagitabit. Abs te proximas literas habebam Epheso a. d. v. Id. Sext. datas.

¹¹ *Pilius*] Piliæ propinquus, quam Atticus habebat in matrimonio. *Idem*.

¹² *Veritas*] Ut præstes quod promissisti.

¹³ *Cum dies venerit*] Qui dies? An promissisti Dionysii? ita ut hominem secum habere Atticus ad certum tempus voluerit, post M. Tullio cedere? Id ego vix credo: cum præsertim proxima superiore epistola, que

non multo ante scripta est, Cicero Atticum roget, ut Dionysium mittat, de certa die nihil dicat. Placeret, *Quo die venerit*. Ut desiderii vis ac magnitudo indicetur eorum, qui ne unum quidem, aut alterum diem expectaturi essent, sed eodem quo venisset, hominem efflagitaturi. *Malspina*.

CICERO ATTICO SAL.

XVIII. PUTO te existimare me, nunc oblitum consuetudinis & instituti mei, rarius ad te scribere, quam solebam: sed, cum loca & itinera tua nihil habere certi video, neque in Epirum, neque Athenas, neque in Asiam, neque inquam, nisi ad te ipsum proficiscenti, dedi literas. Neque enim sunt ex epistola nostræ, quæ si perlatæ non sint, nihil ea res non offensura sit: quæ tantum habent mysteriorum, ut eas ne librariis quidem fere committamus. Lepidum quo excidat. Consules flagrant infamia, quod C. Memmius candidatus patio.

¹ *Lepidum quo res cadat*] Sic puto hunc corruptum locum esse emendandum, sententia opinor, non inepta. Lepidum (inquit) spectaculum, videre quo res cadat. *Leibnizius*. Nihil mutuo; manuscriptis hæreo. *Excidat*, impersonale est. *Juvinius*. Posses coniectare, ne *Lepidum quod excidat*, pro *ne aliquid Lepidum rerum & verborum que ad se scribit, alius transierat, & spargatur in vulgus*. Grævius. Delenda hæc verba Muretus censet. *Victorinum* sequimur.

² *Patio*] Pactio hæc erat: Memmius, & L. Domitius Ahenobarbus consules fieri

cupiunt: Appius autem Claudius, & L. Domitius Ahenobarbus consules id agunt, ut consulatus functi in provinciis mittantur. Promittunt igitur, se operam daturus, ut consules creentur Memmius, & Calpurnius: illi contra, se tres augures daturus, qui dicentur se assuisse, cum lex Curia de imperio provinciarum ad populum ferretur: & duos consules, qui se assuisse dicentur, cum Senatibus-consultum de orandis, & infrendendis consularibus provinciis scriberetur: nisi hoc fecissent, H. S. darant ambo quadringena Appio, & Ahenobarbo. *Manutius*.

tionem in Senatu recitavit, quam ipse & suus competitor Domitius cum Consulibus fecissent, uti ambo H-S quadragena Consulibus darent, si essent ipsi Consules facti, nisi ³ tres Augures dedissent, qui se affuisse dicerent, cum lex Curiata ferretur, ⁴ quæ lata non esset; & duo Consulares, qui se dicerent in orandis provinciis consularibus scribendo affuisse, ⁵ cum omnino ne Senatus quidem fuisset. Hæc pactio non verbis, sed ⁶ nominibus & ⁷ percriptionibus, multorum ⁸ tabulis cum esse facta diceretur, prolata a Memmio est nominibus ⁹ indutis, auctore Pompejo. Hic Appius ¹⁰ erat idem. Nihil sane iacturæ. Corruerat ¹¹ alter, & plane, inquam, jacebat. Memmius autem, dirempta ¹² coitione invito Calvino, plane refrixerat; & eo magis nunc cogitare distaturam, tum favere iustitio, & omnium rerum licentiæ. Perfpice æquitatem animi mei,

³ *Tres augures*] Nam, cum lex ad populum ferretur, adfint necesse est, qui dicant licere per Jovem legem ferri. Tres autem plane, cum lex curiata ferebatur, quia triginta Curie tres veteres Tribus representabant. Veteres autem Tribus suum quæque Augurem habuit. *Idem.*

⁴ *Quæ lata non esset*] Augures igitur pretio erant adducendi, ut latam mentirentur. Non licebat autem sine curiata lege militare imperium in provinciis habere. *Idem.*

⁵ *Cum omnino*] Nam revera neque lata curiata lex, neque senatus fuerat: sed, quasi utrumque fuisset, ita provinciarum administrationem, & lege curiata, & S. C. se datus consulibus promittebant Memmius, & Calvinius, si modo ipsi essent consules facti. *Idem.*

⁶ *Nominibus*] Nomina proprie dicta de huiusmodi debitis quæ sine usuris contrahuntur. Ideo & pararii proxenetæque interpositi, qui pecuniam mutuam quærentibus, quam sine usura acciperent, creditores conciliarent, qui sic dare vellent. Quorum proxenetarum opera non erat opus his qui pecuniam seneore sumere cogitarent. Recta enim ad mensam argentariorum ibant, atque inde, si pignorum & hypothecis idoneæ cavere poterant, sumebant quantum vellent. *Salmastius*, de usuris cap. 6.

⁷ *Percriptionibus*] *Percriptiones* sunt, ut nunc loquuntur, assignationes ad trapezitam fidei mensam. Solutiones, inquit Salmastius,

apud antiquos Romanos fieri solitas legimus duobus modis, vel ex *arca*, vel ex *mensa*. Qui domo solvebat, ex arca sua pecuniam sumere intelligebatur, quæ ibi sine fructu recondita servabatur. Qui ex mensa numerationem faciebat, duplici modo eam facere solitus. Aut enim a mensario accipiebat seneore, qui pro ipso summam quam desiderabat, & cui numeratam illam velle, dependebat. Tunc debitor talis summæ mensario existerat. Aut pecuniam ipse habebat apud mensam depositam. Ex qua summa quantum summulam vellet, pro ipso numeratam mensarius, qui tanto minoris exinde manebat debitor. Hoc *scribere*, & *perscribere* dicebatur, & inde *scriptura mensa*. Salmastius, de seneore Trapezitico, lib. I. Cicero pro Flacco: *Pecuniam in arcam sacram repositam se perscripsisse seneore*. Gravivius.

⁸ *Tabulis*] Vide Salmastium in cap. 6. libri modo laudati. *Idem.*

⁹ *Indutis*] E codice deletis. *Corradus*. Nominibus scilicet eorum, qui hæc pacti erant, & suam interposuerant fidem.

¹⁰ *Erat idem*] Ita non commovebatur, quasi nihil turpe commisisset. *Manutius*.

¹¹ *Alter*] Domitius Ahenobarbus. *Idem.*

¹² *Coitione*] Coitiones candidatorum quæ sint, nunc omnibus notum. *Invito autem Calvino*, quia suo consilio contra Domitii voluntatem eam pactioem in Senatu recitavit. *Vitorius*.

mei, & ludum & contempionem ¹³ Seleucianæ provincia, & mehercule cum Cæsare suavissimam conjunctionem; hæc enim me una ex hoc naufragio tabula delectat. Qui quidem Quintum meum tumque, dii boni! quemadmodum tractat honore, dignitate, gratia! non fecus ac si ego essem imperator. ¹⁴ Hibernam legionem eligendi optio delata commodum, ut ad me scribit. Hunc tu non ames? quem igitur ¹⁵ istorum? Sed heus tu, scripsieramne tibi me esse legatum ¹⁶ Pompejo? & extra urbem quidem fore ex Idibus Januariis? Visum est hoc mihi ad multa quadrare. Sed quid plura? coram, opinor, reliqua; ut tu tamen aliquid expectes. Dionysio plurimam salutem: cui quidem ego non modo servavi, sed etiam ædificavi locum. Quid quæris? ad summam lætitiæ meam, quam ex tuo reditu capio, magnus illius adventu cumulus accedit. Quo die ¹⁷ ad me venies, tu, si me amas, apud me cum tuis maneat.

¹³ *Seleuciana*] Macedoniæ, quam olim provinciam contempsi, & quam vocat Seleucianam a Seleuco Nicanore viatore Lyfimachi, qui tum Thraciam & Macedoniam in ditione habebat. *Justin.* lib. XVII. cap. 2. J. F. Graviv.

¹⁴ *Hibernam legionem*] Quidam *Regionem* sine causa, præsertim repugnantibus libris. Nam cum suas legiones Cæsar, quo facilius provinciam in officio contineret, non unum

in locum ad hibernandum mitteret, optio nem Quinto dabat, ad quam vellet proficiscendi: ita ut integrum illi esset, in proximiora loca, & munitiora venire. *Manutius*.

¹⁵ *Istorum*] Optimatum? Ep. 5. h. l.

¹⁶ *Pompejo*] Ituro in Hispaniam.

¹⁷ *Ad me*] Hoc aut abundat; aut explana, in aliquam villarum mearum, ubi tum ero. *Manutius*.

